Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40620
Copyright: Melk, Benediktinerstift

184

Sermo in festo pasce

Maria magdalene et maria iacobi et salome emerunt aromata ut venientes vngerent ihesum. Secundum Marcum ultimo originaliter et in presentis festivitatis exordio recitatur. Reverende et venerabiles patres et in Christo dilectissimi fratres, licet presentis festivitatis solempnitas afferre non possim, quod pastorum prius non fuit laboribus allatum. Erit tamen non penitus alienum sed aliquo modo meum si quid de thesauris sanctorum patrum accepi meis non eorum satagens verbis explanare. Quidquid deo non ingrata credit moneta sibi in gazophilacium missa etiam si non a nobis fuit fabricata, sed de numismatis officina utcumque comparata. Non abre erit si de sanctorum sceptis ex eterna officina copiam comptulatamque coram vobis cum exordio vidua deo offerenda in gazophilacium missurus. Et si non duo minuta sed unum solum offerre contingat, multum erit si totus victus meus per hac oblacione cuatuet. Quia beatus bernardus et ante eum quam plures alii viz. Gregorius Augustinus Jeronimus Ambrosius et ceteri viri orthodoxi de eo quod ipsis habundabat obtulerunt, et non totum quod valuerunt. Erit hac in parte oblacio mea etiam tantilla pocior, quia secundum ultimum potencie non de habundanti noscitur exhiberi. Ut autem quod concepimus expleamus auxilium a deo postulemus per mediatricem inter nos et deum virginem mariam, quam ut pro nobis advocare dignetur salutemus devote mentis silencio dicentes Ave maria.

Maria magdalene etc. Secundum Marcum et recitatur ubi supra. Reverende et venerabiles patres ac in Christo dilectissimi fratres, cogitantem me exordium historie ordine et rem gestam, pudet virilis sexus a natura donum accepisse. Quis enim videre esse posset quem hodiernarum constanciam mulierum diligenter considerata non confundet. Ecce dominus ad nostram confusionem de gentibus inquit non est vir meum. Non defuerunt autem mulieres, non modo pauce sed et matheus ait multe, quasi impia virorum virtute ne appropinquare posset cohiberetur, saltem a longe stare voluerunt, quia et si corpore longe erant non tamen longe erat mente, voluntate et affectu sic. Eo quod quivis prope esset apud illum sui cordis fixiones quantum ad corpus pertinet eorum tamen nullus prope erat affectu. Cor enim eorum longe erat a deo. Quid nunc gloriatur vir de virilis sexus virtute, quod gloriatur fortis